

dicit, modo sensu angustiore loquitur. Auxesis sane minuenda et restringenda, meiosis autem augenda est et extendenda.

Exempla: lacrimarum undae. Vita nostra momentum temporis est. Terra mel et lac fluens. Deinde Gen. 22, 17. Num. 13, 33, 34. III. Reg. 4, 34. Joel. 2, 32. Matth. 5, 29, 39. 7, 8. 10, 22. 19, 24. Marc. 1, 33. 16, 16. Joan. 21, 25. Act. 2, 5. Rom. 1, 8.

Hyperbole etiam est pro parte negativa (permissione, occasione) actionem positivam dicere. E. g. III. Reg. 12, 15. Is. 6, 10. Matth. 10, 34, 35. Marc. 7, 12. Joan. 9, 39. Rom. 9, 18. — Hyperbolae affinis est *litotes*, scilicet auxesis per minimi vel contrarii negationem. E. g. non minimus (magnus), non ignoro (optime scio), vinum non odit (valde amat), non ejiciam foras (libentissime admittam).

§ 50.

Interpretatio troporum.

Sensus orationis a sensu troporum dependet, maxime in Bibliis, quae tropos etiam audacieores atque insolitos frequentare, et veritates sublimes ac profundas tropis obvolvere solent. Sensu tropico ultra modum extenso (ut Philo, Origenes, rabbini et quidam rationalistae fecerunt), vel quibusdam tropis sensu proprio acceptis, veritas biblica adulterari, atque ipsa religio Christiana everti posset. Ideo sequentes ad tropos dignoscendos et interpretandos statuimus regulas.

Regula 1. Propriam vocum significationem relinquere non licet, nisi id necessitas postulet vel evidens suadeat ratio. Praesumptio in loco potissimum historico et doctrinali semper pro sensu stat proprio, nisi sensus impropus jus suum contra eam probaverit.

Significatio enim vocum propria est prior, communior et magis naturalis, quam tropica. Praecipue ille, qui rei alicui explanandae, legi condendae vel testamento faciendo dat operam, tropis plane insolitis imprudenter uti non est praesumendum. Sed per se intelligitur, in oratione poetica et rhetorica sensum tropicum facilius admitti posse.

Ratio autem a significatione propria discedendi est absurditas sensus proprii vel evidens ejus falsitas. Specialiter:

a) Absurditas vel falsitas *dogmatica*, idest doctrina fidei aut bonis moribus contraria. Exempla: Amos 1, 2. Dominus de Sion rugiet, Matth. 5, 29, 30. 18, 8, 9. oculos eruere et manum pedemve abscidere, Matth. 19, 12. seipsos castrare, Apoc. 20, 4. regnum mille annorum.

b) Absurditas *logica* scilicet repugnantia contextus, puta partium propositionis vel locorum parallelorum. Talis repugnantia praecipit

alterutram partem vel locum sensu translato accipi. E. g. montes exsultaverunt Ps. 113, 4, 6.; vaccae pingues, quae calumniam facitis egenis, Amos 4, 1.; qui esuriunt et sitiunt justitiam, Matth. 5, 6.; luceat lux vestra, Matth. 5, 16.; dimitte mortuos sepelire mortuos suos, Matth. 8, 22.; lapides clamabunt Luc. 19, 40. — Praesertim, quum identitas subjecti et praedicti asseritur, bene attendendum est, utrum ea proprio an translato sensu invicem adaequentur. [E. g. Gen. 41, 26. sq. 49, 9, 14. Dan. 7, 24. Matth. 5, 13. 14. 13, 19, 38. Joan. 10, 11. 14. 15, 1. Gal. 4, 24. Apoc. 1, 20.]

c) Absurditas vel falsitas *historica*, idest sensus veritati historicae repugnans. E. g. prophetae futuris theocratiae hostibus, post captivitatem vel tempore Messiano victuris, nomina populorum extinguitorum, vel certe ante tempus vaticinii impleti extinguendorum (Magog, Moab, Edom etc.) imponere solent; ubi patet, nomina illa tropice esse intelligenda.

Cavendum tamen est, ne id, quod supra rationem est, contra rationem esse judicetur, — neque conjecturae historicae pro veritate habeantur.

Regula 2. Primum sensus proprius, ratio et natura tropi cognoscantur, oportet.

Sensus proprius, scilicet res, quae tropum suppeditat et id, quod de ea proprie dicitur; ratio tropi, scilicet relatio ejus ad sensum (similitudo aut cohaerentia, tertium comparationis et vinculum relationis); natura tropi, scilicet species ejus rhetorica. Nemo enim quidquam e theca depromere potest, nisi prius hanc aperuerit. Haec autem omnia, ut patet, accuratam rerum antiquarum et theoriae troporum scientiam postulant.

Regula 3. Cavendum est, ne sensus troporum ultra tertium comparationis vel vinculum relationis extendatur.

Imprimis non licet similitudinem vel cohaerentiam ultra id, quod quasi sponte se offert, urgere, neque in partes ornatus gratia adjectas extendere, et in his quoque sensum translatum quaerere. Tropi enim plerumque non sunt omni ex parte translati. Deinde notandum est, unam eandemque rem saepe variis imaginibus repraesentari, et eandem imaginem varia ex parte varias res, imo contrarias significare. E. g. Christi imagines sunt agnus et leo; at leo praeter Christum etiam diabolum significat, Christum ratione majestatis, roboris et fortitudinis, diabolum ratione crudelitatis; Christus est leo ad vincendum, diabolus leo est ad nocendum. (Conf. S. August. Serm. 73, 2.)

Regula 4. Si auctor humanus, ipse Deus, S. Scriptura, traditio vel authentica ecclesiae interpretatio tropum solvunt et explicant, a sensu ita manifestato recedere non licet. Optimus enim quisque verborum suorum est interpres; omnes autem illae interpretationes aliquo modo a Spiritu Sancto, auctore Bibliorum principali originem trahunt.

E. g. Ezech. 17,1—10. explicatur ab ipso Deo 12—21.; Matth. 13,3—8. et 24—30. explicatur a Christo 18—23. et 37—42.; Matth. 19,12. explicatur doctrina Ecclesiae castrationem damnantis.

Interpretatio traditionis et ecclesiae authentica in rebus fidei et morum eandem habet auctoritatem, atque interpretatio ipsius S. Scripturae. Sensus enim in mente ecclesiae vivens e doctrina Christi et apostolorum derivatus, ergo ab auctore S. Scripturae principali revelatus habendus est. E. g. verba institutionis eucharistiae Matth. 26,26.28. et loc. parall. (hoc est corpus meum, hic est sanguis meus) licet mira significant et per se interpretationem translatam suadeant: tamen propter interpretationem Christi Domini (Joan. c. 6.), S. Pauli (I. Cor. c. 11.), item traditionalem et authenticam sensu proprio sunt accipienda. Alioquin ab illo dicto jam natura testamenti, quam habet, tropum excludit.

Regula 5. Ubi autem auctor sensum non pandit, sensus tropicus cognoscitur e contextu, occasione et fine sermonis, vel ex aliis adjunctis.

E. g. IV. Reg. 14,9. (legatio cardui) intelligitur ex v. 8. (Conf. II. Paral. 25,17.18.) — Luc. 15,11. sqq. (narrationis de filio prodigo) sensus proditur 15,1.2., ubi pharisaei murmurasse dicuntur contra publicanos ad Christum admissos. — Luc. 19,12. sqq. (parabola mnarum) apparet ex v. 11. — Luc. 23,31. (viride et aridum) intelligitur ex v. 27—30. — Joan. 11,9.10. occasione explicatur. Apostoli namque Christum dehortati sunt, ne Judaeam, ubi paulo ante vix periculum vitae effugerat, repeteret; ideo eos Dominus monet, unicuique spatum temporis a Deo assignatum esse, quo durante provida Dei cura manuque protegatur. — Joan. 11,11. vocem *dormit* tropice dici, demonstrat v. 14. — Deinde Joan. 12,35.36. (ambulate dum lucem habetis), illustratur v. 34., ubi turba miratur, audiens Christum in crucem actum iri.

§ 51.

Notio et divisio figurarum.

1. — Figurae (schemata) sunt *formae orationis ab usitato loquendi modo recedentes*, quae auditorum attentionem excitant, cogitationem occupant, animum movent, et ita sermoni ornatum ac vim addunt.

Figurae ex imaginatione concitata, ingenio veritate penetrato atque affecto et corde commoto nascuntur; auditoribus inopinato superveniunt, eos a sermone avocari ac languescere non sinunt, imaginationem et intellectum exercent, affectus cordi eliciunt, animum delectant, sermoni novitatem, alacritatem, claritatem, vim et gratiam affeunt. A tropis eo distinguuntur, quod tropi sensum verborum, vel orationis mutant, figurae autem sensum immutatum relinquunt.

Sermo nec didacticus, nec poëticus, nec rhetoricus, si suavis atque efficax esse velit, figuris carere potest. Haud mirum, S. Scripturam ab auctoribus orientibus compositam, poëmata multa sermonesque vehementiores continentem, singulari figurarum copia et varietate esse ornatum.

2. — Figurae in duas classes dividi solent: *in figuras orationis et cogitationis.* (Szó- és tárgyalakzatok, Wort- und Sachfiguren.) Priores in forma sermonis (adjectione, detractione, ordine, harmonia vel oppositione vocum), posteriores in argumento sermonis seu in ipsa re proposita consistunt. Priores verbis etsi salvo sensu mutatis pereunt, posteriores quibuscumque verbis expressae, vim suam retinent. Figurae cogitationis porro dividuntur: a) in *simulantes*, b) *didacticas* et c) in *affectivas*, prout speciem fictae alicujus actionis prae se ferunt, ideas (repraesentationes phantasiae vel notiones intellectus) excitant, aut denique affectus movent.

Figura orationis insolentia verborum, compositione vocum et sententiarum efficacium animos auditorum tenet atque afficit; figura cogitationis tum actiones internas simulando, tum operationes phantasiae vel intellectus auditoribus elicendo, tum affectus eorum concitando animos auditorum exercet ac movet. Speciatim simulatio est tales cogitationes, affectiones atque actiones animi ostendere, quas ad elocutionem, non ad animum oratoris pertinere facile appareat. Animus ad operandum excitatur et occupatur repraesentationibus vividis et cogitationibus fecundis. Affectus concitantur tum res cordi movendo aptas ad similitudinem veri describendo, tum proprium animum commotum

ostendendo, tum cumulatione causarum motivarum gravissimarum auditores percellendo.

Notandum est, in omnibus linguis, ut tropos lexicales, ita etiam figurae grammaticales et lexicales adesse, puta idiotismos et constructiones abnormes, consuetudini sermonis familiares.

§ 52.

Figurae orationis.

1. *Repetitio seu iteratio* est renovatio earundem vocum vel locutionum, et quidem aut immediate alteram subsequentium (*conduplicatio*), aut initio sententiarum (*anaphora*), aut in earum fine positarum (*epiphora*). Repetitio unius vocis initio, alterius vocis in fine sententiarum vocatur *symploce* (*complexio*). Repetitio cum emphasi est *epizeuxis* seu *adjectio*. Exempla. Testis est Italia, testis est Gallia, testis est Hispania, testis est Africa. (Cicero.) Deinde Ps. 28.; 135, 1. sqq. Is. 51, 17. I. Cor. 6, 11. II. Cor. 11, 22. sq.

2. *Cumulatio (exargasia)* vocum et sententiarum (*synonymia* et *expolitio*). In *synonymia* voces vel phrases idem aut simile significantes acervantur; in *expolitione* sententiae ejusdem vel similis sensus cumulantur, quo altius in auditorum animis defigantur. Figura tamen cumulationis non est mera tautologia, quia voces vel sententiae aggregatae eandem cogitationem aut diversa ex parte spectatam, aut gradatim illustratam exprimunt. E. g. abiit, excessit, evasit, erupit. (Cic.) Item Ex. 15, 16. Esth. 8, 17. Isai. 16, 10. 30, 6. 33, 10. Matth. 4, 23. Luc. 1, 14. Act. 2, 43. Rom. 2, 9. Philip. 1, 20. 2, 12. Hebr. 2, 4. I. Petr. 2, 11. — *Synonymia pleonastica* est figura Hebraeis peculiaris et in Bibliis frequentissima. E. g. timens et tremens, egressi sunt, ut irent, igne comburere, elevans oculos vidit, elevans vocem dixit, aperiens os dixit, respondit et dixit, praecepsit dicens, extendens manum tetigit, gaudete et exsultate, etc. Species autem expolitionis in Bibliis est *parallelismus membrorum*.

3. *Gradatio (climax)* est illa vocum aut phrasium series, in qua vis significationis membrorum constanter crescit aut decrescit. (Gradatio ascendens aut descendens.) E. g. facinus est vinciri civem Romanum, scelus verberari, prope parricidium necari, — quid dicam in crucem tolli?! (Cic.) Deinde Rom. 1, 32. 5, 2—5, II. Cor. 11, 23.

4. *Periphrasis* seu circumlocutio est rei, quam orator nominare non vult, designatio, aut aliis verbis idem valentibus, aut definitione (notis essentialibus vel accidentalibus). Similis est huic *euphemismus*,

quum res indecentes vel ingratiae verbis suavioribus vel lenioribus dicuntur. E. g. Ex. 3, 14., deinde Joan. 13, 23. 21, 24.

5. *Asyndeton et polysyndeton (dissolutio et conjunctio)*. Illud est omissio, hoc superflua repetitio conjunctionum. E. g. veni, vidi, vici. Deinde Rom. 1, 29. sqq. I. Cor. 4, 11. 13, 4. sqq. Apoc. 6, 15.

6. *Hendiadys* (*ἐν διὰ δύοιν* unum per duo) est usus duorum nominum grammaticae independentium, conjunctione (*et*) unitorum pro substantivo et ejus attributo (genitivo vel adjectivo). E. g. molem et montes, i. e. molem montium; pateris libamus et auro i. e. pateris aureis. In S. Scriptura: Gen. 3, 16. II. Paral. 16, 14. Luc. 2, 47. 21, 15. Act. 1, 25. 23, 6. Rom. 1, 5. II. Tim. 4, 1. Tit. 2, 13. II. Petr. 1, 16. — Praeterea in Bibliis peculiaris hujus figurae species invenitur, quae *hendiadys verborum hebraizans* nominari potest, et pro nomine verbali verbo finito jungendo, duo verba finita conjunctione et connexa usurpat. (In Vulgata plerumque secundum sensum vertitur.) E. g. Gen. 9, 20. coepit Noe et plantavit (coepit plantare) vineam. Gen. 42, 25. jussit Joseph et impleverunt (jussit implere) saccos. Matth. 18, 21. quoties peccabit in me frater et dimittam ei? (Quoties peccanti dimittam?)

7. *Reticentia* (ellipsis) est vocum vel sententiarum accidentium subaudiendarum omissio in sermone vehementiore. E. g. Terentia Ciceronis, Maria Cleophae (uxor); mortales (supple: homines); quid igitur? (sc. dicitis, vis); nihil ad vos (attinet); sus Minervam (sc. docet). Deinde Ps. 6, 4. Matth. 6, 9. (in Graeco), Luc. 2, 49. (in Gr.), Joan. 14, 31. Rom. 15, 3. I. Cor. 3, 2. Gal. 5, 13. (in Gr.) — Reticentiae similis est *brachylogia*, ubi pars omissa implicite in sermone latet, sicut etiam subjectum vel praedicatum omissum in propositione contracta. E. g. Sapiens libenter explet omnia officia, quae oportet (sc. explere). Nostri graece fere nesciunt, nec Graeci latine (sc. sciunt). Per biduum nihil aliud (sc. fecerunt), quam steterunt parati ad pugnandum. Cf. Rom. 14, 21. I. Cor. 3, 7. — Species reticentiae est etiam *zeugma* scilicet illa constructio irregularis, in qua unum verbum ad plura subjecta vel objecta spectat, quum nonnisi uni stricte conveniat, reliquis tantum sensu lato vel mutato. E. g. Pacem (habere) ac bellum gerere. Providendum est, ne magis irae vestrae (obsequamini) quam famae consuлат. Deinde Luc. 1, 64. I. Cor. 3, 2. 14, 34.

8. *Interruptio (reticentia, aposiopesis)* est figura, qua sententia inchoata in fervore orationis subito abrumpitur, et graviora atque infanda auditoribus cogitanda permittuntur. E. g. Quos ego — sed motos praestat componere fluctus. (Vergil.) Deinde Is. 62, 8. Luc. 13, 9. 19, 42. 22, 42. (in Gr.), Joan. 6, 63. Hebr. 3, 11. In formula juris-

jurandi Hebraica frequens. Interruptionis species est etiam *anantapodoton* seu reticentia memtri dependentis. Multae tamen sententiae mancae non sunt nisi vitia sermonis. E. g. I. Tim. 1, 3.

9. *Inconsequentia (anacoluthon)* est mutatio constructionis in media sententia propter impetum cogitationum novarum, quo fit ut principium et reliqua pars propositionis vel periodi grammaticae non congruant. Ita satis saepe in S. Scriptura citatio sine congruentia grammatica textui inseritur. E. g. Luc. 1, 55. 7, 47. Joan. 14, 31. Rom. 5, 12. 15, 3. I. Cor. 1, 31. in Gr., Gal. 2, 3—6. 6, 1. — Similis est huic *parenthesis*, seu sententia interjecta. E. g. I. Cor. 8, 1—3. Gal. 2, 6. Eph. 5, 8—10.

10. *Antithesis* est compositio aut oppositio verborum, phrasium vel sententiarum contraria significantium. V. g. Isai. 65, 14. Matth. 5, 21. sq. I. Cor. 4, 10. 12. 13. II. Cor. 6, 8. sq.

11. *Paradoxon (inopinatum)* est figura, quae id quod impossibile esse, vel plane repugnare videtur, affirmat, aut idearum vel sententiarum contrariarum identitatem aliqua ex parte veram enuntiat. E. g. pauperes divites, beati pauperes, dolor dulcis. Item Matth. 5, 3—12. Marc. 4, 25. Joan. 9, 39. 12, 25. Rom. 7, 9. 10. — Paradoxi species est *oxymoron* seu ingeniosa absurditas, idest dictum specie quidem absurdum, sed aliquo sensu valde ingeniosum. Ita e. g. Discors concordia; absentes adsunt, mortui vivunt; vitae nescius vivit. Deinde Matth. 10, 39. 16, 25. Marc. 8, 35. Joan. 12, 25. Rom. 7, 15. I. Cor. 1, 21. 3, 18. II. Cor. 2, 2.

12. *Paronomasia (agnominatio vel annominatio)* seu lusus verborum est collatio vocum forma vel sono similium, saepe oppositionis gratia. E. g. amantes sunt amentes (Cic.). Ex oratore arator factus. Deinde Daniel 13, 54. sq. 58. sq. (in Graeco), Matth. 16, 18. Luc. 21, 11. (in Gr.), Joan. 15, 2. (in Gr.). Similis est huic *denominatio etymologica*; v. g. Gen. 2, 23.

13. *Polysemon* est ingeniosa compositio vel oppositio plurium significationum ejusdem vocis, saepe aequivoce usurpatae. Ita eadem vox in eodem contextu duas habet significationes, quarum una plerumque est tropica. E. g. dum vivimus, vivamus (vita fruamur); si es vir (sexu), esto vir (animo). Deinde Matth. 8, 22. 10, 39. 16, 25. Luc. 9, 60. II. Cor. 5, 21. Ab hac figura vix differt ea, quae dicitur *dilogia*.

14. *Polyptoton (traductio, multiplicatum)* est iteratio ejusdem vocis (radicis) in alia forma grammatica. E. g. vero verius: spectatum ornatae veniunt, spectentur ut ipsae. In lingua Bibliorum hebraizante frequentissimum est. (V. supra p. 64.) E. g. morte morieris; dein Is. 24, 19. sq. Luc. 22, 15.

15. *Concatenatio (anadiplosis)* sententiarum. Ita vocatur illa propositionum continuarum structura, in qua sententia posterior ab ultima prioris sententiae voce incipit, et ita sententiae annularum instar inter se connectuntur. E. g. Matth. 1, 2—16. Joan. 1, 1. 2. 4. 5. Rom. 5, 3—5.

16. *Hysteron proteron (hysterologia, prothysteron)* est ordinis rerum logici vel chronologici inversio. E. g. Moriamur, et in media arma ruamus. Hysteron proteron est primo de iis, quae postea tractanda erant, agere; deinde membra enumerationis, divisionis vel seriem objectionum ordine inverso pertractare.

17. *Hyperbaton (verborum transgressio vel transversio)* apud Latinos frequentissimum, est vocum grammaticae connexarum separatio per alias voces euphoniae vel numeri oratorii causa. Si nomen initio sententiae, attributum autem in fine ejusdem ponitur, haec figura *trajectio* vocatur. Voces separatae, ad initium et finem positae plerumque majoris, voces autem inclusae levioris sunt momenti. E. g. Clarorum virorum post mortem honores. Brevis a natura nobis data est vita. Silvestrem tenui Musam meditaris avena. Deinde Ps. 28, 1. 2. — Similis figura est *chiasmus*, ubi partes duorum membrorum ordine diverso quasi decussatim ponuntur, inclusis in medio partibus minoris momenti. E. g. Fragile corpus animus sempiternus movet. Vir specie quidem puerili, senili vero prudentia.

18. *Symmetria* est aequalis vel proportionata longitudo, similis constructio, forma et sonus sententiarum aliarumque orationis partium. Eodem refertur *similiter cadens (homoioptoton)* i. e. earundem terminationum (casuum, temporum) repetitio et quasi concentus; deinde *periodus* scriptorum profanorum et *parallelismus* biblicus membrorum. Ipsi *versus* et *strophae* sunt perfectiores symmetriae formae.

19. *Euphonia (sonoritas)* est selectio ac dispositio vocum atribus jucunda. Species euphoniae est etiam *numerus* seu *rhythmus* oratorius, qui est vicissitudo ac varietas vocum et sententiarum cum emphasi aut sine ea pronuntiatarum. Euphonia prohibet concursum vocalium (hiatum) et consonantium crebramque similis syllabae repetitionem. Euphonia postulat, ut sententiae in voce longiore, pleniore et suaviter sonante desinant; item ut voces monosyllabae inter voces longiores disponantur. Numerus autem voces emphasi carentes inter emphaticas collocari praecepit.

§ 53.

Figurae simulantes.

1. *Praeteritio* est declaratio oratoris se rem aliquam ignorare, vel omissurum vel tantummodo leviter perstricturum esse, qua declaratione curiositas auditorum magis excitatur et res efficacius dicitur. E. g. Phil. 19. Praeteritio saepe digressus vel uberioris tractationis locum ac vim obtinet.

2. *Correctio (retractatio)* est revocatio vocis vel sententiae enuntiatae ideo facta, ut illa argumentis firmetur vel gravioribus verbis compensetur. E. g. Matth. 11, 9. Joan. 9, 41. I. Cor. 15, 10.

3. *Interrogatio* est figura, quae una quaestione vel pluribus, ad quas orator responsum nec exspectat, nec ipse dat, non dubium, sed veritatem certissimam firmissimamque persuasionem significat, et auditorem ad veritatem fatendam impellit. V. g. Job, 7, 17. 8, 3. II. Cor. 11, 29.

4. *Admiratio* est, ubi auctor se mirari vel aliquid non sperasse simulat. Saepe velata vitiorum exprobratio est atque accusatio. E. g. Matth. 26, 40. Gal. 1, 6.

5. *Dubitatio* est figura, qua auctor se aliquamdiu fluctuare et animo pendere fingit, verumne aliquid sit, aut quid et quomodo dicat faciatve, donec nova quasi oborta luce, subito consilium capit. Similis est *deliberatio*, quando orator cum semetipso consilium inire, vel alias consultare videtur. E. g. Matth. 11, 16. Luc. 16, 3. 4.

6. *Concessio* est assensio alicui objectioni vel cuicunque rei oratori adversanti ficte praestita, ad eum finem, ut vel argumentorum oppositorum levitas appareat, vel ut ex rebus concessis aliquid adversario contrarium concludatur, vel vero, ut orator occasionem habeat nova et graviora argumenta proferendi. Imo aliquando plus, quam ipse adversarius optet, conceditur, ut ex eo absurdae vel perniciose consecutio-nes colligantur. (Deductio ad absurdum.) E. g. Matth. 23, 15. 23. 25. 25, 26.

7. *Communicatio* fit, quando auctor causae suaee confidens, rem auditoribus imo adversariis dijudicandam committit, vel auditores, quid faciendum sit, consulit, — quum sive ob rei evidentiam, sive ob demon-strationem certum sit, judicium sanae mentis nonnisi auctori favere posse. Ex. g. Isai. 5, 3. Act. 4, 19.

8. *Captatio benevolentiae et licentia* sunt illa dicendi genera, quibus auctor rem per se odiosam vel certe auditoribus minus gratam blandis verbis ac bona venia prius petita proponit. E. g. Gen. 3, 1. sqq. II. Reg. 14, 9. 12. Marc. 12, 14. Rom. 1, 8. sqq. I. Cor. 1, 4. sqq. Phil. 1, 3. sqq.

9. *Praeoccupatio (prolepsis)* objectiones praevisas anticipat, seu nomine auditorum vel adversariorum afferit, et ita earum vim tollit. E. g. Matth. 25, 37. 44. Luc. 4, 23. — *Prolepsis* seu *anticipatio* vocatur etiam illud sermonis genus, quod praesentia vel futura in praeteritum reponit, idest de re priore talia dicit, quae postea demum, puta tempore sermonis ei convenient. E. g. si auctor aliquem nomine, quod hic postea accepturus est, appellat. In Bibliis frequens.

10. *Imitatio (mimesis)* est figura aliorum cogitandi loquendique rationem assimulans. E. g. Gen. 11, 4. Sap. 2, 1. sqq.

11. *Sylepssis* est, si auctor ne eum cui vel de quo odiosa dicturus est, offendat: non eum vel non eum solum nominat, sed universe loquitur, alias etiam comprehendens. Frequentissime fit numero plurali de una persona, aut pro una de multis loquendo. E. g. Matth. 26, 8. (conf. Joan. 12, 4.) 27, 44. Similis huic figura est *anakoinosis*, ubi auctor se una cum auditoribus comprehendit (pers. 1. plur. pro pers. 2.). E. g. Rom. 3, 7. 13, 11. sqq.

§ 54.

Figurae didacticae.

1. *Amplificatio (specificatio)* est apta alicujus ideae, doctrinae vel narrationis disperditio atque copiosior expositio ad intelligentiam vel repraesentationem ejus juvandam. E. g. Isai. 3, 18. sqq. 24, 1. sqq. Amplificatio Bibliis peculiaris est significatio totius per partes; e. g. coelum et terra (mundus), terra et arida, viri et mulieres, juvenes et senes, pater et mater etc.

2. *Subjectio* est figura, qua orator multas quaestiones aliam post aliam ponit, et ad eas vel singillatim, vel simul et generatim respondet. Praesertim ad objecta diluenda et ad effugia praeccludenda valde utilis. E. g. Isai. 40, 12. sqq. Matth. 11, 7. sqq. II. Cor. 11, 22. sq.

3. *Dialogismus* est illud dicendi genus, quo multae interrogations et responsiones directae quasi colloquii modo conseruntur. E. g. Matth. 25, 34—45.

4. *Responsio* est figura illa, qua orator ad interrogationem sibi ipsi positam insperatum vel audientium animos confundens reddit responsum. E. g. Matth. 11, 16. Luc. 17, 17. 18.

5. *Suspensio vel sustentatio* locum habet, quando orator auditores per plures sententias suspensos et incertos, quid dicturus sit, tenet, eorumque expectationem sententia aliqua inopinata et ingeniosa explet. E. g. II. Reg. 12, 1. sqq. Matth. 22, 18. sqq. Luc. 7, 40. sqq. Joan. 8, 10. sq.

6. *Hypothesis* est figura, complures casus et conditiones ponens, ex quibus argumenta, similitudines et consequentia idonea colliguntur. E. g. Psalm. 138, 8. sqq.

7. *Ethopoeia* (Portrait) est descriptio ingenii, mortum et actionum hominum ad similitudinem veri expressa, vivida et ex animi indole acute deducta. E. g. Matth. 6, 2. 5. 23, 4. sqq.

§ 55.

Figurae affectivae.

1. *Exclamatio* est elatio et contentio vocis, eruptionem gaudii, doloris, admirationis, indignationis, abominationis aliorumque affectum significans. Tum una voce absolvitur, tum in totam sententiam aut plures sententias extenditur, et interjectionem adjectam vel subauditam habet. E. g. O tempora, o mores! Deum immortalem! Me miserum! Deinde Rom. 7, 24. 11, 33. Gal. 3, 1. Potest etiam formam interrogativam habere. E. g. Jerem. 9, 1. sqq. Matth. 23, 37. Aliquando ironia in ea latet.

2. *Epiphonema* (acclamatio) est sententia finalis praegnans, quae essentiam vel consecaria rei narratae aut probatae gravibus et efficacibus verbis enuntiat. E. g. Tantae molis erat, Romanam condere gentem. Item Matth. 23, 38. sq.

3. *Obsecratio* (deprecatio) est figura, precibus enixoribus auditores urgens, aut Dei vel hominum opem implorans. E. g. Joel. 2, 12. Si orator auditores per res eis gratas et sanctas obsecrat, tunc figura *adjuratio* vocatur. E. g. I. Cor. 1, 10.

4. *Obtestatio* est invocatio testimonii Dei, coelorum, mundi etc., ad veritatem, promissionem vel assertionem aliquam confirmandam. Nonnunquam verum *jusjurandum* est. Deut. 4, 26. II. Reg. 15, 21. II. Cor. 1, 23. Gal. 1, 20.

5. *Optatio* est appetitus alicujus boni, oratori vel aliis proficii, gravibus verbis declaratus. E. g. Isai. 64, 1. — Contraria ejus est *imprecatio vel execratio*, praesertim in A. T. frequentior. E. g. in psalmis imprecatoriis (34, 57, 58, 108, 136 etc.), item Job. c. 3. et Gal. 1, 9.

6. *Sermocinatio* est, quando orator alias personas, nonnunquam mortuas, fictas vel morales (populum) verbis gravibus et affectu plenis loquentes inducit. E. g. hymnus: Popule meus; dein Sap. 5, 4. sqq. Isai. 58, 3. sqq. Apoc. 6, 10. Huic similis est et saepe confunditur

7. *Prosopopoeia* (fictio personae), quae rebus inanimatis proprietates et epitheta entis viventis attribuit, imprimis res vita carentes tamquam viventes, sentientes, loquentes imo cum oratore colloquentes, et pruden-

ter agentes tractat vel producit. E. g. Isai. 24, 23. Jer. 47, 7. Hab. 2, 11. Luc. 19, 40.

8. *Apostrophe* (aversio ab objecto vel ab auditoribus) est allocutio unius vel plurium personarum praesentium vel absentium aut rerum plane inanimatarum. E. g. Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra?! Deinde Isai. 1, 2. 54, 1. sqq. Jer. 2, 12. 47, 6. Matth. 11, 21. sqq. — Minus recte vocatur apostrophe illud dicendi genus, quo orator ab objecto ad omnes auditores convertitur, eosque vehementer monet vel increpat, quod fit v. g. persona secunda singularis pro numero plurali utendo. E. g. Matth. c. 23. I. Cor. 4, 7.

9. *Hypotyposis* est depictio alicujus rei aut eventus tam vivida, ut quod depingitur quasi oculis cernatur ac spirare videatur. E. g. Prov. 31, 10. sqq. Isai. 60, 1—6. Thren. 1, 1. sqq. Dan. 5, 4—6. Nahum 2, 3—10.

10. *Visio poetica seu rhetorica* est figura, quae rem remotam, absconditam, futuram vel caelestem per imaginem animo obversantem describit, quasi auctor imaginem revera oculis compleetur. Aliquando auctor plane simulat et dicit se eas res vel eos eventus intueri. E. g. Jerem. 4, 21—31.

11. *Coacervatio* (epimone) est cumulatio multarum interrogationum, sententiarum profundarum atque inopinatarum, quibus orator auditores quasi in angustum compellit, convincit et confundit. E. g. I. Cor. c. 6.

CAPUT TERTIUM.

De conditione loquentis.

(Investigatio sensus psychologico-historica.)

§ 56.

Conditionis notio, species et vis.

1. — Conditio personae loquentis est status ejusdem internus et externus, qui ad materiam, formam et sensum orationis aliquid confert. Per loquentem intelligitur tum auctor libri tum sermonis. Duplex autem conditio distinguitur: *interna* et *externa* seu subjectiva et objectiva. Conditio loquentis *interna* est quaevis animi vel corporis qualitas, facultas et actio, a qua id quod dicitur vel modus quo dicitur, ergo etiam sensus orationis dependet. Conditio autem *externa* est omnis res ac relatio extra loquentem sita, quae orationis materiam, formam et sensum constituit